

*Q. F. F. q. S.*

159

DISSERTATIO MEDICA,

DE

# MEDICO SUI IPSIUS.

QUAM,

CONSENSU FAC. MED. AD REG. ACAD. UPS.

PRÆSIDE

VIRO GENEROSO.

DOM. CAROLO  
V. LINNÉ,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI, S:Æ R:Æ M:TIS SUEC. ARCHIATRO,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

STIP. REG.

JOHANNES GRYSELius

NERICIUS

PHILOS. CANDID.

IN AUDIT. CAROL: MAJ. DIE *XI* JUN.


ANNI MDCCCLXVIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVERTIS.

---

UP SALIAE,

LITTERIS JOH. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGR,



D. D.

§. I.

**B**onum corporis est, dum corpus hūmanum agile & cum vigore functiones suas efficiat, hoc Diæta & Medicina expetemus. Ast dantur morbi, qui Medico vix subjiciendi, puta hæreditarii, naturæ nostræ quasi consuetudine inplantati, qui que nunquam fere sanari, sed quodam modo levare possunt. Hac vero occasione morbos adquisitos, qui ab erroribus diætæ originem ducunt, pertractare nobis proposuimus. Finis itaque hujus Dissertationis est, ut modus ostendatur, quo quisque vitæ sanitatisque amans, fragilis suæ Machinæ fabricam sartam testamque conservet, aut fractam & labefactatam facile resarciat & in integrum restituat. Te itaque L. B. enixe rogo, ut conatibus meis faveas.

§. II.

Qui sui ipsius Medicus evadere cupit, sex dictas res non naturales, cum suis circumstantiis sibi cognitas habere debet, hasque per se, quousque sint salutares, an non, pertractare conabor, & quidem I:mo AEREM; sine quo nemo vivere potest, & est caussa sanitatis morborumque procataristica, pro ejusdem usu & abusu, tum ambiendo corpus nostrum afficiens.

*Frigidus* superficies corporum & partes exteriores penetrat & contrahit, unde Tussis, Pleuritis, &c. oriuntur; partes interiores etiam a frigore lœduntur; ideoque ad frigus in itineribus sustinendum, conducit præ-

præter vestimenta, cibus copiosior, quod quotidiana experientia indicat: Mutatio Aëris mutationes corporum inducit: *Humido* aëre impeditur transpiratio, & per consequens circulatio sanguinis perturbatur, quia humiditas peregrina venas penetrat bibulas atque solida expandit humoresque vitiat, per inspirationem vero humidi, pulmones quasi muco inficiuntur, unde partes solidæ eorum corripiuntur, hinc Hæmoptysis, Phthisis; Si vero illa tempestas cum interveniente interdum calore solis continuatur, Febres criticæ, præsertim juxta loca paludosa, grassari incipiunt.

*Calidus* auget sudorem, unde sanguis condensatur, & ad circulationem in minimis vasis, minus aptus redditur; hinc facile Obstructiones, Febres phlogisticæ, Alvus tarda, (quod tamen injectiue Ol. Olivarium emendatur) Stranguria, &c. ac dixit Hipp. in Aph. Sect. V. 16. *Calidum, eo frequenter utentibus, has adfert noxas: carnis effeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguines eruptiones, animi deliquia, bæc quibus mors.*

*Aër stagnans putrefactus* promovet miasma Februm contagiosarum; erat annus MDCCIX, Holmiæ, testis, dum sex hebdomadibus tranquilla tempestas duraret, sub Peste grassante. Ejusmodi aëris tranquillitas & stagnationes avertuntur campanarum sonitu & aërem igne purificando, quo rarefactus evadat, ac purus in prioris ruat locum, ut in motum excitetur & purgetur; Picis flagratio eundem præstat effectum, ob particulas acidæ ej concessas, quæ cum aëre se communicant huncque corrigunt. Hiice temporibus, etiam ac nebulosis aliisque insalubribus atque contagiosis tempestatis bus a diris Febribus exanthematicis, præservatio matutinis horis, institui debet, ex. gr. in Peste cum vino Rhenano ℥β., vel aceto cum Ruta, aut Sulphure Scr.j

ad Scr. ij, nec non Ambrosiacis Masticatoriisque, unde contagium declinabitur.

§. III.

**II:do INGESTA.** *Qualis est cibus talis chylus, qualis chylus tales humores, quales humores tales sunt spiritus, quales sunt spiritus & humores talis est nutritio, motus & sensus, & per consequens vita & sanitas.* Hoffm. fund. med. Motus & cibus inter se combinari debent, nam alter altero carere nequit. *Victus est triplex: plenus, medicris & tenuis: Plenus ex durioribus Carnibus salitis & infumatis, Vino fortiori, Cerevisia spirituosa ac crassiori & quæ sunt reliqua ad digestionem minus apta ciborum genera, consistit; attamen hic viatus laborantibus & majori motione utentibus prodest, utpote qui, robusta ad ejusmodi ingesta digerenda habent corpora, ut cibus assimilatus facile in chylum vertatur. Tenuis vero viatus, ex Carnibus mollioribus recentibus, jusculis, Vino & Cerevisia tenui, constat, cum debilioribus ventriculis convenient; si hi nempe debiliores in excessu peccent diætae, Phthisici aut Hæstici evadunt, ideoque nec nimis tenuis, nec nimis plenus viatus sit, sed Medicris, qui vires in eodem conservat statu; huc pertinet illa regula: Medicus cibi, Medicus sibi; & medium tenuere beati.* A pleno victu motionem negligentibus, Plethora (ita abundantia sanguinis nominatur), a tenui vero cacochymia, infertur. His crediderunt Medici antiqui, plerosque morbos originem debere, & non sine caussâ. A pleniori enim Plethora, Colica, Inflammationes, Febres Phlogisticæ, Hæmorrhagiæ excitantur; his in malis venæ sectio habet locum, ast in Febribus Phlogisticis potissimum venæ sectio cum quodam nitro.

Polyfarchia sæpe Plethorae est affœcta; ubi vero hæc dominium habet, producit Asthma, Apoplexiam, Herniam, Hydropem, Nephtitidem, Erysipelas, Inter-

triginem &c, hæcque mala ad avertenda, victus tenuis & motus ordinatus instituatur; quod etjam *Hipp.* hisce verbis indicate vult: *Sanitatis studium est, non satiari cibis & impigrum esse ad labores.* Polysarchiæ oppositum est *Maraasmus.* Caussæ hujus efficientes sunt, Viatus nimis tenuis, Potus aquæ, coffeeæ, Labor mentis & corporis, nimiæ evacuationes, Frigus, Vigiliæ, Acida &c. unde Melancholia, Ostocopus, Arthritis, Leucophlegmatia, Oedema, Cachexia, Obstipatio alvi, Scirrhi &c. oriri solent; Attamen Scorbuticis, Oedematosis, frigidis &c. medicamenta acria & orgastica inserviunt.

Signa bonæ digestionis sunt, corporis vigor & levitas, alvus aperta, nulla urinæ retardatio, hilaris animus, nulla torimina vel spasmæ ventris nec appetitus prostratus, & salivæ oris affluxus ad cibum, dum adest tempus edendi.

*Potus* etjam iisdem fere modis valetudinem nostram infestatur. *Aqua potus* est naturalissimus, & si parum vini infundatur, saluberrimus, attamen tenuis *Cerevisia* bene fermentata, etiam inter potiones optimas censetur. *Majores nostri aquam ex fontibus suis hauriebant, diuque vixerunt, inde enim sanguis diluitur, & ad circulationem aptior redditur;* ex his largiora copia utendum est, non quidem simul & semel, sed parum & saepe. Tantum scilicet cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non reprimantur, & quantum cibi sorbilis opus est ad ingesta digerenda atque diluenda; neque vero heic motus est negligendus, quod quoque *Hipp.* ostendit dicendo: *in motu & potu consistit sanitas.* *Parcius potus* ingesta resolvere non valet, unde *Obstructiones, Sanguinis crassities, Transpirationis, Urinæ Salivæque imminutio,* nec non morbi *Chronici* suos referre solent natales.

Potus spirituosi inter epulandum, acre in sanguine exicitant, digestione ac chylificatione vero facta, modice tamen sumti, prosunt. *Frigidus* sudantibus, Febrisve affectis nocet; experientia quippe docet, inflammationem ventriculi, & tandem Gangrenam, hiic oriri, nec non Spasmodum, Phthisin, Hydropem, Pleuritidem &c; tali in casu, motus quidem mox est adhibendus, ut corpus priorem calorem retineat ac potus eo citius suam refrigerandi perdat vim; venæ-sectio quoque Plethoricis commendatur; alias si quis in hanc regulam impingat, infuso Millefolii & Melissæ uti potest; herba Thea eandem adfert efficaciam, ast vero abusus hujus inducit Paralyzin, testimonio Chinensium.

#### §. IV.

**III:o SOMNUS.** *Aptitudo ad sensus & motus voluntarios libere exercendos in sanis organis, vigilia vocatur: ineptitudo ad eosdem & quies omnium cum sanis organis somni nomen fert.* Hall. Phys. cap. XX. Somnus pinguedinem accretionemque corporis efficit, fibras relaxat, viresque & spiritus animales restaurat; in tristitia & Melancholia magis facit, quam omnia medicamina, quia in somno respiratio habet æqualitatem, unde aura Vitalis magis corpori sub somno communicatur; atamen abusus somni, Libidinem, laxitatem, torporem, debilitatem, stupiditatemque adfert.

In tergo cubare Nephriticis nocet, tunc enim renes in quiete versantur, omnisque crystallatio sub quiete fit; asthmatici & qui Ephialte laborant, parciori cœna a cibis flatulentis, & farinaceis omnibus, recenti Cerevisia fermentescente &c, abstinere debent, id quod verius Scholæ Salernitanæ assentire videtur; Ex magna cœna, stomacho fit maxima pœna; ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis,

Infantibus licitum est plus somni capere quam Pueris, his vero plus quam Adolescentibus & sic porro, adeo ut in Adulta & Virili ætate, valeat trita illa regula: *Septem horas dormisse sat est.* In Febribus vero magnam utilitatem præstat, & si abest, refectionis ergo, Opio, quod tamen summa cum cautela ad grj vel griß, seu Laudano liquido ad guttas xij excitat solet; Crocus ad tempora cum successu etiam applicatur &c. Alioquin omnia Medicamenta Graveolentia & Svaveolentia, huc pertinent.

*Vigiliae* nimiæ Marasmmum inducunt Cerebrumque indurant, unde Memoriæ debilitas, Nervorum retardatio & Virium prostratio; hinc sequitur, quod inter vigilias & somnum debeat esse analogia quædam. Dixit Hipp. *Somnus, vigilia, utraque modum excedentia morbus.*

### §. V.

IV:o MOTUS fortior ante assumtos cibos melior quam post illos. Hoffm. Motus spiritus animales restaurat: In circulatione sanguinis consistit vita, illa autem a motu externo augetur, ea transpiratio promovetur. Tempore nocturno vel ante ortum vel post occasum solis admittendus non est, quia maximæ exhalationes terrarum aquarumque tunc in atmosphæra existunt, eamque ob causam nec juxta loca paludosa, nec in denso aere: Motus vero una alterave hora ante prandium institutus, ciborum digestione ad maximum partem absoluta, ut maxime proficuus, magnopere commendatur, quod Celsus assentire videtur, dum inquit: *post satietatem nihil agendum,* & Hipp. *Labores cibum præcedant;* & alio in loco: *fame urgente non est laborandum.* Quod Sennertus his explicat verbis: *ubi fames, vel ubi cibi adhuc crudi sunt in corpore non laborandum.* Motus cibo proportionari debet, in pleno itaque

que viatu major, in tenui vero minor erit. Laborantes, motu robustiora corpora, bonamque valetudinem sibi acquirunt, inde namque nervorum corroboratio ac plurium morborum cura. Magno cum successu, in Cachexia, Glandularum tumoribus, Acido ventriculi, Hypochondriasi, Torminibus, Spasmis, Convulsionibus, Calculo, Podagra, Arthritide, Melancholia, Asthmate, Phthisi, Leucophlegmatia, Leucorrhœa, Menstruis suppressis instituitur, id quodam modo affirmat Hipp. *Homo non bene valet nisi laboret.* Fortior vero motus nuxius est, callositates inducit & tendines in cartilagines mutare valet, ac vires enervat, sed ad udorem usque continuatus, optimus censetur.

Motionum diversa dantur genera, eundemque fere producentia effectum, attamen Equitatio cæteris præfertur, in ea enimvero circulatio in omnibus vasis vi impellitur, ac stagnantes humores hinc excitantur; gracilibus vero hominibus moderatior, robustioribus major erit; sanis autem omnibus, ad sanitatem conservandam, deambulatio & equitatio sufficit.

Motus vero animi fortiores & labor mentis continuus, senium accelerant, utpote qui cerebrum inducant, quare decantatus ille versus:

*Interpone tuis interdum gaudia curis,*  
*In regula quippe hacce diætætica, Variatio delectat, fundatus, observari meretur; plura de his vide §. VII.*  
*Motus & quies inter se variare debent; a quiete stagnationes in minimis vasibus existunt, unde Oedema, Scorbutus, Cachexia, impedita transpiratio, Calculus &c. oriuntur. Medicamentis utentes vero in quiete esse debent, quo medicamina suum eo melius præstare valent effectum. Motus & quies se invicem curant, quod Hipp. hisce verbis confirmat: In omni corporis motu, inquit, quando dolore cæperit, interquiescere, statim lassitudi-*

*dinem curat. Immodicus motus spiritus dissipat, vires dejicit, corpus languidum reddit.*

§. VI.

V:to. SECRETIO. *Si illa quæ excretui debent, convenienti tempore, loco & mensura excernantur, magnum profecto corpori humano inde exsurgit præsidium.* Dicit Waldscbm. in sua *Med. Rat.* p. 43. *Excretio respondeat ingestis, & est illa quidem duplex, vel sensibilis vel insensibilis.* Illa per superiora & inferiora, hæc per totum corpus absolvitur, his vero viis consuetis obstrutis, gravissimis morbis aperitur janua, quales sunt, Asthma, Apoplexia, Hydrops, Icterus &c.

Eiusmodi casu, cibus erit tenuis & longius intervallum temporis inter edendum instituetur, quo ventriculus adsumtos cibos melius digerat, & putredo hoc modo evitetur; heic quoque motio quam maxime est necessaria, & si alvus sit tarda, medicamentis eccoproticis, sale angl. Unz: i in aqua soluto; pilulis Ruffi, utendum. Indicia suppressæ transpirationis sunt Lassitudo, Appetitus prostratus & subtristis animus. *Perspiratio insensibilis* magis secernit, quam ceteræ excretiones, & augetur hæc bono cum successu Aßæ fœtidæ, summæ diaphoreticæ usu; quæ etjam in Passione Hypochondriaca, a Nobiliſſ. D:mo Archiatro atque Praefide, maxime commendatur, ac hilaris animus; ceteris omnibus præstat Motus.

§. VII.

VI:o. ANIMI pathemata. Verulamius horum effectus optime descripsit.

Varii dantur affectus animi, ut Ira, Metus, Tristitia, Invidia, &c. quorum immoderatus usus, sanguinis humorumque turbat mixtionem, ac spirituum inæqualem reddit motum, Obstructiones generat, unde cauſa plurium morborum existere, vitamque abbrevia-

re potest. *Metus Syncopen*, *Epilepsiam*, *Palpitationem cordis*, *Paralysin*, *Abortum &c.* efficere valet; *Ira Erysipelas*, *Inflammationem ventriculi*, *Icterum*, *Arthritidem*, *Colicam*, &c. *Tristitia Melancholiam*, *Hypocondriasis*, cum pluribus.

Cum vero accidat, ut affectus quisquam morbum inducat, contrario affectu curari potest, modo mox excitetur, sin minus Anodynus affectum demulcent, Vini haustu nervos corroboret. In usu est aquam frigidam bibere, sed magnum periculum secum fert, morbi enim in § III. recensiti, inde oriri solent. Potus Theæ tolerari quidem potest, ast in Tristitia & Mœrore, Vino quodam Generoso cum quibusdam guttulis Ess. Ambræ & sale volatile oleo. Sylvii uti convenit, unde sanguis, utpote hisce animi affectibus perturbatus & retardatus, ad circulationem aptior redditur. *Hilaris* vero *animus* secretiones corporum, ut & vigorem sanitatemque promovet.

### §. VIII.

Specialiter vero circa corpora humana observari jam venit: Si quis sanitatem præservare cupit, ante omnia notitiam corporis sui, sibi acquiret & diligenter sex res diætas non naturales perscrutabitur, pro ut cuique salutares sint an secus? ac mutationes corporis cum suis circumstantiis in quocunque casu recordari, nec a liorum naturam, sed sui ipsius sequi & contemplari debet, *consuetudo enim est quasi altera natura*; semper itaque illius Hipp. memor: *corpus differt a corpore, natura a natura & temperamentum a temperamento*. Natura hoc modo cognita, diæta facile patet, qualis sit instituenda, ne subita mutatio deinde noxam adferat. Per naturam hoc in loco, vires corporum & œconomia motuum intelliguntur, hanc adexquirendam, sequentes necesse est scias circumstantias, bonam naturam & valetudinem indicantes,

ut

ut i:mo Constitutio parentum, nam fortes procreantur a fortibus, & omne parit sui simile. 2:do. Densæ fibræ atque musculi. 3:o. Dentium albedo. 4:o. Somnus profundus, sed non sterterosus. 5:o Respiratio levis. 6:o Tolerantia laborum. 7:o. Alvis siccior. 8:o. Nulli affectus animi vehementiores &c. Mala vero dispositionis signa, sunt his contraria.

Hoc loco etiam causæ senectutem & mortem accelerantes enumerari debent, quæ sunt, nimius labor, calor, acria, affectus vehementiores animi, potiones spirituosiōres & libido; omnibus ideoque hæc servanda est lex, mediocritatem esse tutissimam, vel cum Hipp. omne nimium naturæ est inimicum.

## §. IX.

*Principiis obſta, ſero medicina paratur,  
cum mala per longas invaluere moras.*

OVID.

Jam ideoque pertractari debet, quomodo unusquisque morbo quodam incipiente, vitam suam instituat, antequam radices egerit, ac medicus accersitus venerit? In primis itaque observetur, quod morbi sint aut *Acuti* aut *Chronici*, hi valde inter ſeſe diſcrepant, quam ob rem diversam requirunt curam; ſi vires ægri morbo acuto laboranti præſto ſint, i:mo. Venæſedio in acutissimis eſt inſtituenda, nitrumque ad ſanguinem ſolvendum, in potione quadam calida & copiosiori dari potest; ſpirituosa heic nocent. 2:do. Ad vias excretionum eſt adtendendum; quam ſcilicet viam, natura in morbis eligere conatur ut ſublevetur & ſectetur; ex. gr. aut per transpirationem, ſudorem, urinam, excrementa, aut alio quoconque modo convenienti. *Transpiratio* calida Theæ potionē augetur; *Urina* decocto foljorum Petroſelini, & ſic ulterius. Proinde dies citici, nempe vij. xj. & xiv. adcurate adnotandi ſunt, quomodo natūra & morbus tunc ſeſe oſtendunt, ſi

erises fiant, an perfectæ sint? His enim diebus vita pericitatur. Si nullæ crises fiant, ait, Hipp. laborem significant & morbi longitudinem & recidivæ. 3:o. his etiam in morbis nempe Acutis temperantibus medicamentis utendum est, ne natura perturbetur; sic convenit heic, Cremores varii ut Avenæ, Hordei, &c. qui cum syrupo quodam acetolo aut succo Citri ad gratum saporem infundi possunt, ne ægrum potionis simplicis tædeat, & eo copiosius potare valeat, unde sanguis diluitur, atque circulatio liberior efficitur. Præterea transpiratio sensim est elicienda, in quem finem potiones erunt calidæ & calor loci semper moderatus tenebitur. Sub calore vero febricitantis, alyus erit aperta, ne excrementa putrefcant, & massa sanguinea inde inficiatur: Validiora Purgantia seu Draſtica in hisce morbis valde sunt noxia, sed Eccoprotica ut tremor Prunorum dulcium, Ptisana ex radicibus apperientibus, aut clysmata leniora ceteris sunt præferenda.

Morbi vero *Chronici*, neque Medico neque medicamentis facile obediunt, quoniam corpore nostro altius iradicati sunt; attamen circa hos sequentes regulæ observari possunt. 1:mo. Qui spasmo laborant intestinorum, alvum laxabunt enematibus. 2:do Plethorici bis de anno venam secabunt. 3:o. Sal. volat. oleos. Sylvii, parya in dosi, matutinis horis capiet.

Generaliter vero diluentia hue pertinent, ut *Aqua pura* & *Aqua Minerales*, quæ in Arthritide, Calculo, Rheumatismo, Menstruis suppressis &c. convenient, sed noxiæ sunt eis, qui exulcerationes pulmonum habent. *Aqua Spadanea*, inter optimas censetur aquas, quippe quæ ægrotum in Diarrhœa chronica, Hemorrhoidibus &c. roborant. *Aqua Seltziana cum lacte* in exulcerationibus pulmonum, ut Phthisi, etiam in Hydrostomia, Arthritide, Febribus lenti & Hemitritæa, non sine fructu adhibentur. Vide Hoffm. Opuscula Phys. Med. Tom. II. tractat. ultim. Sic breviter a me jam allatis modis, malo non tantum obviam ibi- tur, sed & auxiliante Deo feliciter depelletur.

S. D. G.